



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. X. De editione instrumentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

menta produci non posse amplius, ipsa natura conclusionis facit, quæ est renuntiatio, saltem tacita, omnis ulterioris probationis, nisi in certis casibus ubi etiam sæpe post sententiam admittitur probatio per instrumenta, si ita Iudici officio expedire videatur; si post conclusionem in causa primùm reperta sint, & jurare velit pars producens, quòd nulla negligentia in illis prius inquirendis intervenit, ignorata tamen fuerint; si producantur ad innocentiam rei in causa criminali probandam; si parte adversa præsentem, & nihil contra dicente instrumentorum productio recipiatur; si à sententia fuerit appellatum, quo in casu instrumenta produci possunt post sententiam in iudicio appellationis, quorum productioni in priore instantia obstabat conclusio in causa; si producatur instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes tantùm declarandas; & generaliter quancumque aliqua iusta causa Iudici subesse videatur. Potest tamen etiam Iudex, ante conclusionem in causa certum tempus partibus statuere, ad lites abbreviandas, intra quod instrumenta sua producere debeant.

## §. X.

## De Editione Instrumentorum.

Instrumenta communia sint utrique parti litiganti, & ea pars aliqua exhibere petat, Iudex tamen hoc non curet fieri, ab eo licet appellatur, & quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet *c. G. perpetuus 12. h. t.* Cùm per talem denegationem pars adversa iniuste gravetur, prout etiam ex dictis & ex dicendis patebit. Quòd si tamen pars litigans ad fundandam suam intentio-

nem, aut exceptionem, privilegium aliquod aut instrumentum alleget, non cogitur quidem illud apud acta Iudicii deponere, debet tamen Iudici totum illud ad videndum, & informandam mentem exhibere *c. Cùm persona juncta Gloss. V. Integraliter de privilegiis in 6. & ad legendum coram parte præsentem saltem illud Capitulum exhibere, de quo est quæstio, prout habetur in c. Contingit §. h. t. nisi omnia in illo instrumento contenta à se invicem dependeant, quia in tali casu talis causa discuti non potest, nisi omnia in instrumento contenta examinentur.*

## §. XI.

## De variis exceptionibus, quæ contra Instrumenta opponi possunt.

In genere dici potest, quòd exceptiones contra Instrumenta, vel desummantur à causa efficiente, ut quòd non à legitima auctoritate confecta sint; vel à causa materiali, ut quòd sint de re illicita: vel desummantur à causa formali, ut quòd desit substantialis aliqua solemnitas, &c. In specie verò contra instrumentum opponi potest, primò quòd falsum contineat *c. Accipimus 4. h. t.* (quo in casu exhibendum tale instrumentum Iudici in loco securo, & intra tempus præfixum à Iudice, ut de falsitate hic cognoscat, quæ non inspecto instrumento sciri non potest) ita ut si ex una tantùm parte sit falsum, totum suspectum reddatur, nisi falsitas subsit articulo prorsus diverso, & separato ab aliis nihil conexis cum illo falso, utile enim per inutile vitari non debet *juxta regulam. 37. in 6.* Secundo opponi potest, quòd sit vetustate consumptum, cancellatum, vel

de.